AUGUSTINUS
Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 23v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift

diffidentia deiecit in negligentiam. Illi dicunt: ut quid rogamus dominum ne inducamur in tentationem: quid in nostra est potestate. Isti dicunt: ut quid conamur bene uiuere quid in nobis est potestate. O domine opitulare quaesumus ne nos inferas in qualibet istarum tentationem: sed libera nos a malo. Audiamus dominum dicentem: rogaui pro te petre ut non deficiat fides tua. ne sic existimemus fidem nostram esse in libero arbitrio ut diuino non egeat adiutorio. audiamus euangelistam dicentem: dedit eis potestatem filios dei fieri. ne omnino existimemus in nostra potestate non esse quod credimus. ueruntamen in utroque illius beneficia cognoscamus. Nam et agendae sanctae gratiae data est potestas et orandum ne subcumbat infirmitas. Ipsa est fides quae per dilectionem operatur. sicut ei mensura diuisum est cuique partitum est. ut quid gloriatur non in ipso sed in domino gloriatur.

Non itaque mirum est quare non poterant credere. quae uoluntas sic superba erat ut ignorantes dei iusticiam et suam uolentes constituere sicut de illis dicit apostolus iusticiae dei non sunt subiecti. Quia enim non ex fide sed tamquam ex operibus tumuerunt. ipso suo tumore cecati offenderunt in lapidem offensionis. Sic autem dictum est non potant ubi intellegendum est quod nolebant. quem admodum dictum est de domino domino nostro. si non credimus ille fidelis permanet. negare se ipsum non potest. Sicut ergo quod dominus negare se ipsum non potest laus est uoluntatis diuinae. ita quod illi non potant credere culpa est uoluntatis humanae. Ecce dico ego. Quotquot tam superbe sapiunt ut suae uoluntatis uirtutem tantum existiment esse tribuendum ut negent esse necessarium diuinum adiutorium ad bene uiuendum non possunt credere in christum. Non enim aliquid ipsa syllabae nominis christi et sacramenta christi. ubi resistitur fidei christi. Fides autem christi est credere in eum qui iustificat impium. credere in mediatorem sine quo inter nos non reconciliamur domino. credere in saluatorem quem uenit quod perierat quaerere. atque saluare. credere in eum qui dicit. sine me nichil potestis facere. Qui ergo ignorans dei iusticiam qua iustificatur impius suam uult constituere quomodo superbus. in hunc non potest credere. hunc illi potant credere. non quia mutari homines in melius non possunt. sed quamdiu talia sapiunt non possunt credere.

Hinc excecantur et indurantur. quia negando diuinum adiutorium non adiuuantur. hoc de iudeis quia excecati et indurati sunt dominus praescisit. atque in eis spiritu prophetae praedixit. Quid illis addidit et conuertantur et sanet eos. utrum sub audiendum sit. non idest non conuertantur. contra desuper sententia ubi dictum est. ut non iudeant oculis et intellegant corde. quia hic utique dictum est ut non intellegant. et ipsa enim conuersio de illius gratia est cui dicit. dominus uirtutum conuerte nos. an forte hoc de superne medicinae misericordia factum intellegendum est. ut quo puerse et superbe uoluntatis erant et suam iusticiam constituere uolebant. ad hoc desererentur ut excecarentur. ad hoc cecarentur ut offenderent in lapidem offensionis. et impleretur facies eorum ignominia. atque ita humiliati querentur nomen domini et non suam quinflatur superbo. [illegible] iusticiam dei qui iustificat impium. hoc enim multis eorum proficit in bo[illegible]num quod de suo scelere compuncti in christum